12
16
2
21

DE

NOSTALGIA

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA BONARUM ARTIUM

MDCCCXXXV.

Nescio qua natale solum dulcedine captos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Ovid. de ponto lib. I. epist. III. ad Rufinum.

DE
NOSTALGIA

I. Inter vesanos morbos seu vesanias quibus mortales obnoxii sunt, non infimum tenere locum opinamur morositatem illam, quae a duobus graecis vocabulis νοςέω redeo, et ἄλγος dolor seu moeror *Nostalgia* nuncupatur; quam nos (praemissis nonnullis in nomenclatione varietatibus traditis definitione, ac divisionum idea) breviter summatimque scribere aggredimur.

II. *Nostalgia* igitur praeter varias, quas a linguarum vernacularum varietate obtinet appellationes; aliis item e graeco fonte deductis nominibus quasi synonymis, idest quasi ejusdem significationis; dicimus quasi, quod

vera absolute synonyma dari non credimus: uti *Nostomania* furor seu insania redeundi a νοςέω redeo, μανία furor seu insania.

Nostopatridalgia dolor in patriam redeundi a νοςέω redeo, πατρίς patria, αλγος dolor seu moeror.

Nostopadridomania furor seu insania in patriam redeundi a νοςέω redeo, πατρίς patria, μανία furor seu insania.

Philopatridomania furor seu insania a patriae amore a Φιλία amor, πατρίς patria, μανία furor seu insania.

Pothopatridalgia dolor seu moeror a patriae desiderio a πόθος desiderium, πατρίς patria, αλγος dolor seu moeror.

Pothopatridomania furor seu insania a patriae desiderio a πόςος desiderium, πατρίς patria, μανία furor seu insania etc. passim a scriptoribus designatur; a quorum etymologia magis magisque dilucidatur dolorem in nomine *nostalgiae* expressum ab ingenti in patriam redeundi desiderio provenire; idcirco *nostalgiam* definiri posse morositatem, qua absentes a patria eam revisere tam vehementer cupiunt, ut reditu denegato morbosam

animi primo, dein ob ineffabile foedus corporis contrahant affectionem.

III. At ut *nostalgia* alios et febriles, et interdum graves morbos persaepe comitatur; sic a *Nosologis* (1) generatim dividi solet in simplicem idest nullo alio morbo, et complicatam idest aliis morbis comitatam; cui divisioni placuit alicui addere simulatam, quae aliud non est quam dolosa fictio, qua nonnulli vafri mortales *nostalgia* affectos esse ostendere conantur: nos autem nulli divisioni hic locum praebemus, cum simplicis tantum, ac verae *nostalgiae* non morborum, quibus ea sociari, aut doli, quo simulari potest historiam tradere proponamus.

(1) Nosologi sic a duobus graecis vocabulis νόσος morbus et λογος sermo nuncupati ii, qui sermonem de morbis habent; eosdem in classes, ordines, genera, ac species distribuendo; et uniuscujusque definitionem, causas, synthomata *, curaeque interdum etiam methodum tradendo. * Synthomata sunt affectus praeter naturam, qui sequuntur morbum velut umbra corpus; sic dicti a graecis vocabulis σὺν simul et πίπτω cado.

IV. Praemissae definitioni §. II., ex qua infertur animum primo in *nostalgia* affici, plane respondere videntur signa, quae eadem ingruente apparent: aeger enim praeter naturam moestus, verecundus, taciturnus, ac misericors potissimum erga peregrinos evadit, perfacile, ac ferme de nihilo lacrymas effundit; hominum aspectum, convictumque effugere, ac declinare conatur; deserta loca, per quae sponte frequenter ambulat, appetit, intervias autem gradum identidem sistit, totusque cogitabundus in caelum suspiciens anxia trahit suspiria; lecto maxime inquietus est, totasque fere noctes pervigilat; saepe secum ipse submisse, et interrupte de patria, parentibus, amicis praesertim conterraneis dicit; interrogatus num morbo laborat, renuit, raroque suam aegritudinem patefacit: siqua spes patriam, parentes, amicos revisendi effulget commiserando aspectu subridet; at paullo post moestior fit: sicque ab anxiis, nec non assiduis mentis uni eidemque cogitationi semper intentae curis; ob ineffabilem inter animam, et corpus consensum, continuumque commercium, corporis viribus defatigatis, ejus

functionibus perturbatis, pedetentim plura, ac gravia mox ordine describendo *synthomata* corpus spectantia superveniunt.

V. Quemadmodum in *nostalgia* plane statuere qua die physica laesio aegro ingruat haud possibile est; etenim prout et magis, vel minus vehemens in aegri mente desiderium, a quo oritur morositas; et magis, vel minus ejusdem vires, quae non secus ac morales ratione temperamentorum in omnibus hominibus gradu variant; resistere valent impetui, quem laesa imaginatio in corpus infert; ocius, vel serius hoc afficitur; sic de hisce tantum brevibus paucis verbis complectemur, quod propriis observationibus speciatim per quinquennium in regiis militaribus valetudinariis tempore belli factis nobis constat: et sane habita semper ratione aegritudinis et aegri virium aut ipsa hebdomade, qua primordia signa indicata §. IV apparuerunt; aut frequentius sequenti; nausea, cibi potusque fastidium, ructus, inanis vomitus aegrum infestant; his accedunt magna lassitudo, virium defectus, a quibus aeger plerumque in lecto assidue jacere coactus de

quadam praecordiorum poena conqueritur, quando ob aliquam vividam causam ejus mens momento temporis a cogitatione uni, eidemque rei, patriae nimirum, parentibus etc. distrahitur; lenta interim febris subrepit cum quodam languore *nostalgicum* idest *nostalgia* affectum sensim emaciante et cum delirio in nonnullis ex robustioribus fere continuo semper circa optata, et quod peculiare est raro cum furore et impetu; cor subinde palpitat, pulsus parvi ac interdum rari explorantur; respiratio lente, ac laboriose efficitur; totum abdomen, exceptis hypocondriis, quae fere semper tument, planum ac tensum ut in atrophia laborantibus evadit: hisce autem *synthomatibus*, quae gradatim in morbi progressu intentiora fiunt; alia, et graviora in extrema *nostalgiae* periodo adduntur; decubitus nempe supinus; summa stupiditas; *tendinum subsultus* (1); levis in quibusdam

(1) Tendinum nomine intelligimus illas plerorumque musculorum extremitates instar funiculi densi, duri, coloris albi splendentis factas, ossibus adnexas. Subsultus autem sunt quidam inor-

lienteria, ac demum cum plane cessatione functionum naturalium nonnullae convulsiones quas inter aeger plerumque animam agit.

VI. Animadvertendum autem quod in Montispessuli valetudinario pluries una aut altera macula livescens in corpore *nostalgicorum* observata fuit (1) sed hoc *phaenomenon* (2) aut in *nostalgicis* mali corporis habitus idest cachecticis, jam aliqua impetigine affectis; aut in *nostalgia* complicata correptis contigisse ad credendum nostrum inclinamus animum; cum in militaribus simplici tantum *nostalgia* detentis, qui plerumque boni cor-

dinati spastici motus in tendinibus, qui in nonnullis morbis plerumque mali moris observantur, et persentiuntur praesertim dum pulsus explorantur; sic dicti a graeco verbo ἐπίσπαίρω idest subsulto ab ἐπί sub et σπαίρω palpito vibro.

(1) Vid. Boissier de Sauvages in nosol. method. tom. II. class. VIII. vesan. Nostalg.

(2) Phaenomenon a graeco verbo Φαίνω ostendo generatim dicitur a physicis quidquid per observationem aut per experientiam sensus organis, sive sensibus externis subjicitur.

poris habitus erant nunquam maculam designatam videre nobis datum fuerit.

VII. *Synthomata* tum animum, tum corpus respicientia §§. IV et V recensita ea sunt, quae generatim in simplici, ac vera *nostalgia* observantur, et quorum naturae, complexui, atque ordini siquis recte attendat expeditum inveniet eandem distinguere non solum ab alia quacumque vesania licet aliquo modo simili ut puta *hypocondriasi* (1) in qua tamen aeger animum non ad patriam, parentes etc. intendit ut in *nostalgia*, sed ad propriam sanitatem: melancholia, in qua nec febris adest, nec amor morosus proprius

(1) Hypocondriasis sic dicta a graecis vocabulis ὑπό sub, et χονδρος cartilago, quia sedem habere in hypocondriis, praecordiis a clarissimo Celso aliisque dictis credebatur; est quaedam vesania per se periculi expers, qua mens aegri plerumque sui ipsius nimis amantis hallucinata, assidue versatur circa propriam valetudinem, quam magis adversam putet, quam reapse est, ideoque semper de aliquo morbo queritur quem fere semper exaggeratum dicit.

character est, ejusque variis speciebus, quarum singulis semper aliquod peculiare signum est; verum etiam a *nostalgia* complicata §. III in qua descripta *synthomata* nec sola, nec tam clara, nec tam ordinata quam in *nostalgia* simplici apparent, sed una cum multis aliis, et variis, quorum catervam nostrum non est describere, cum non *nostalgiam* sed morbos, quibus eadem unitur complicaturque spectent; et a *nostalgia* simulata, §. III in qua fortasse ne unum quidem ex *synthomatibus* veram *nostalgiam* stipantibus a prudentis clinici oculo toto dolosae fictionis decursu observatur.

VIII. *Nostalgicorum* cadaverum sectiones a nobis institutae, fere semper comprobarunt, atque aperte confirmarunt vitia, quorum *existentia*, id nempe quod reapse est, in morbi decursu aut jam apparebat, aut naturali ratione conjici poterat: etenim imminutam generatim singulorum viscerum, ac partium propriam molem; peritonaeum ferme exsiccatum, pariterque ejus productiones praesertim *mesenterii* (sic dictae productionis ejusdem peritonaei, quae est in medio inte-

stinorum ab ipsa dependentium a graecis vocabulis μέσον medium, et ἔντερον intestinum), glandulas valde obstructas, venasque quoque oppilatas, jecur, lienem, *pancreatem* (viscus naturae glandulosae non valde magnum, subter ventriculum transversim positum inter jecur, et lienem, figurae oblongae aliquo modo similis linguae canis; sic dictum a graecis vocabulis παν totum, et χρέας caro, idest viscus totum carnis) interdum tumentia, sed fere semper obstructa; ventriculum, et intestina flaccida, atque extenuata in *nostalgicorum* cadaveribus fere semper reperimus.

IX. Cum autem *nostalgia* Helvetios ut plurimum conflictet in causa est, cur a quibusdam tanquam morbus nationi helvetiae *endemius* (morbus nempe cujusdam regionis proprius, peculiarem populum infestans, a graeco verbo ενδημέω incolo ex ἐν in, et Δήμος populus composito: morbus nimirum cum populo manens in aliqua data regione) aut melius illorum populorum proprius praedicatur: at nos historiis, atque exemplis a scriptoribus passim relatis nec non propriis observationibus freti, ex quibus omnibus infer-

tur *nostalgiam* nec in memorata natione progigni, et ab eadem, uti nonnulli putant, in alias transferri; nec tantum helvetios, verum etiam plures alias gentes (1) praesertim montanas, et alpinas (2) invadere et divexare, alicui nationi *endemiam*, quorumdam populorum propriam esse fidenter inficiamur.

X. Argumenti gratia liceat unam tantum ex observationibus a nobis factis hic summatim referre. Mense martii anni MDCCXCVII tempore quo Galli arcem Segusii alpibus im-

(1) Omnes omnium terrarum incolas cadere potest delirium melancholicum, quod in mutata regione, mutata victus ratione, et nato in patriam redeundi desiderio fundatur. Schéuzerus in dissert. de Nost., quae exstat in tom. I. comment. acad. bonon. p. 309.

(2) Confirmantur, quae hactenus de causis, et cura nostalgiae attuli ex eo quod malo huic praecipue obnoxii sint juvenes, quorum scilicet textura cutanea nondum obriguit, sed flexilis est, pressionique cedens: ii item, qui valles inhabitent alpinas, editiores, aëre nativo gaudent rariori, quales sunt alpicolae bernenses, glenorenses, rhaeti, et alii. Schéuzerus loc. cit. p. 311.

positam *la Brunetta* dictam demoliebantur, cum regii gubernaculi Pedemontii, patriae meae dulcissimae jussu Segusium missus fuerim causa medendi speciem *typhi* (1) quo afflictebantur non tantum cives, quantum milites galli in militari valetudinario *della Brunetta* cubantes; et potissimum complures Germaniae milites captivi in tentorio assibus constructo acervatim pro angustia collocati, a quibus dire inchoaverat: dum ergo medicinam in dicto valetudinario exercebam militem gallum vera ac simplici *nostalgia* laborare ani-

(1) *Typhus* a graeco vocabulo τύφος stupor, apud Foesium hippocratis interpretem stupor attonitus; forsan quod typho laborantes stupor attonitus opprimat: est morbus contagiosus conjunctus cum febre continua, quae ad tres hebdomadas, interdumque etiam ulterius extenditur, cum calore parum adaucto, pulsibus parvis, debilibus; et licet quandoque raris, generatim tamen frequentibus, urina parum mutata, cerebri functionibus summopere turbatis, viribus valde imminutis, artubusque maxime prostratis.

madverti; quapropter coram chirurgo, pharmacopola, aliisque gallis, quorum singuli officii sui causa me sequebantur; recte denuo expensis pro veritate rei exploratae omnibus et singulis *synthomatibus*, quibus aeger stipabatur, et *nostalgiae* reapse inventis, tunc praedictis viris ita locutus sum. „ Officiers de santé: ce soldat français atteint dengereusement, comme vous voyez, de la maladie du pays, nous donne un prouve evidente que cette maladie n'est pas endémique de la suisse, et propre de ce peuple: en effet je puis vous assurer, que dans l'espace de cinq années, que je fais le médècin aux hopitaux militaires j' ai vu plusieurs fois cette maladie, et en differents pays, et en personnes de differentes nations „. Quo compendiario sermone tantum, unusquisque forsan jam aliis huic nostrae consimilibus observationibus edoctus, *nostalgiam* nec nationi helvetiae *endemiam*,. nec illorum populorum propriam esse, et omnes cujuscumque regionis incolas invadere posse, et divexare persuasum habuit: licet generatim helvetios prae ceteris a nobis cognitis populis ratione temperamentorum,

educationis, causarumque fortasse nationi singularium procliviores (1) esse concedamus.

XI. Plures, ac variae singulares causae a *nostalgiae* scriptoribus referuntur, quae helvetios ad eam proclives reddunt: speciali vero mentione digna videtur quaedam cantilena in fine opusculi notis musicis expressa, quam helvetii rustici, atque pastores propriis

(1) On prétend que les suisses qui passent dans des pays étrangères, sont le plus sujets à la nostalgie. On pourroit en donner une raison assez plausible; ils quittent des montagnes agréables, ou' ils respiroient une air libre et qui les charmoient par differens points de vue séduisant, ils sont soumis à un service militaire assez dur, ils ont fait un échange assez triste, ils reçoivent peu de nouvelles de leurs compagnons; ils regrettent leur chaumiere, leur troupeaux, leur bétail, leurs instruments champètres; ils tombent dans cette melancolie qui est suivie de l' abattement et qui ne peut étre detruite que par l'éspèrance de revoir le Dieux penates, et ce terrain favori où la nature les avoit d'abord planté. Le Camus medécine pratique t. III. art. V. de la nostalgie p. 235. et 236.

tibiis canere solent; quam autem eorum milites adscriptivi praesertim et recenter e patria semoti in exteris regionibus aliquo modo recinere audientes; subito memoriae mandatis, revocatis patriae deliciis, parentum blanditiis, ac similibus, suspiria trahebant, lacrymas effundebant, sensimque in *nostalgia* incidebant (1); quapropter eandem quacumque industria repetere deinceps a militum helvetiorum tribunis, observationibus a centurionibus in Galliis speciatim, et Belgio factis, edoctis severa lege prohibitum fuit; quam ad praecavendos a *nostalgia* milites in bona disciplina exercitatis helvetiorum cohortibus, nostris temporibus adhuc vigere viri locuplentissimi nobis venuste affirmarunt.

XII. Ceterum *nostalgia*, et omni anni tempore, et fere semper juvenes aggreditur;

(1) Les suisses qui sont éloignés de leur canton ne peuvent l'entendre sans en être attendris jusqu' aux larmes, sans soupirer après leur patrie et sans tomber insensiblement dans la maladie du pays. Le Camus loc. cit. p. 236.

saepius autem vere, saevius hieme; perraro pueros, nunquam senes affligit; et quanquam in viris ob majores quas praebent occasiones frequentior evadit, tamen feminis (1) non parcit.

XIII. *Nostalgia* itaque generatim corripiuntur juvenes potissimum temperamento melancholico, tardo plerumque ingenio, atque inerti animi, corporisque vi donati, timidi, parum liberales, qui ad caeli mores, solique ingenia, in patriae, parentum, amicorum sinu libere, molliterque educati; ab eo sine continua cura recedere, et principiorum, quibus tenera aetate jam imbuti fuere, oblivisci, et sese accommodare diversis hujus, quem incolimus orbis, climatibus, vivendi rationibus nesciunt, et nequeunt: hinc quoties aliqua de causa in exteris regionibus, quarum mores praesertim, et linguam (2) nescientes;

(1) Vid. Zvingerum fascic. dissertat. medic. select. dissert. III. pothopadridalgia p. 93. Vid. Le Camus loc. cit. p. 237. et 238.

(2) Morbus hic (nostalgia) Belgis, Germanis, maxime autem Helvetis, et Carniolis sub vexillis

amicis, et necessaria pecunia orbati vivere, aut interdum tantum in claustris degere debent; alto moerore detenti, assidueque mente contrectantes patriae delicias, parentum blanditias et similia sensim incidunt in *nostalgiam*, cui praecedentem quoque quemcumque morbum maxime periculosum aut diuturnum, et in quo nonnullis auxiliis, atque pluribus commodis caruerint; consuetas in feminis sanguinis evacuationes aut suppressas aut immimutas, animi affectiones, contumelias, labores immodicos, aëris (1), vivendique rationis mu-

servientibus quasi endemius esse a diversis auctoribus depredicatur: posteriores patriotae mei, de causa nostalgiae serio quaesiti, ut plurimum inscitiam linguae germanicae ponunt; evidentem hanc esse causam evincit gentis animositas militaris eorum, qui linguae periti sponte militiae nomen dant, aut qui sub vexillis croaticis, in horum enim vernacula magna est analogia, militant. Verhovitz in dissert. de nost. quae extat in vol. III. dissert. medic. in univers. vindobon. habit. ad morb. chron. pertinent. p. 207.

(1) Jam an non aër ad nostalgiam quid facere videtur? mihi sane: aër enim pro varia sua

tationem, assuetae libertatis, et societatis ademptionem, atque generatim omnia, quae in mentem, quod dulcis in patriae, parentum, amicorum sinu experitur revocare, utque physicam machinam enervare valent, maxime in praedictis jam praedispositis juvenibus occasionem praebere clarum, et ab auctoribus litteris mandatum est.

qualitate varie quoque corpus afficere valet, quod dudum jam pater Hippocrates his verbis expressit: aër in omnibus, quae corpori accidunt, maximus et auctor, et dominus est. Potest autem peccare calore, frigore, siccitate, humiditate, densitate, raritate, levitate, et gravitate; maxime vero nocet aër ille inclusus dictus, animalium, aut hominum exhalationibus inquinatus, qui plerumque in carceribus, nosocomiis, inque parvis aliis habitatiunculis invenitur, qui omni respiranti anxietatem parit; haec qualitas ultima, tum et densitas, et gravitas aëris quantum corpus hominis prius in puro, sicco, levi, et continuo lustrato aëre, montano dicto, vivente mutat, physiologis pathologis, praesertim practicis patet, cum dudum haec phaenomena explicare vos una mecum physiologia docuerit; hic tantum hoc notabo, tres has qualitates atmospherae maxime nostalgiam producere posse. Verhovitz loc. cit. p. 212. et 213.

XIV. Nunc explanatis causis manifestioribus, quae generatim *nostalgiae* occasionem in jam praedispositis praebere possunt; sequitur ut de ejus causa proxima aliquid dicamus: at si tot tamque variae sint auctorum sententiae, nec non diebus nostris tot tantaeque reperiuntur a doctissimis Clinicis difficultates in determinanda causa proxima multorum morborum, in quibus physica laesio tanquam primaria, seu *essentialis* (vocabulum ab essentia graece ἐσία dictum, varie a philosophis, medicis, chemicis, nec non theologis usurpatum, quod hic utimur ad significandum laesionem esse propriam, praecipuam, non jam ab alia laesione provenientem) consideranda est, quot, quamque dissimiles futuras esse medicas opiniones, et quot, quantasque difficultates in ea statuenda de *nostalgia* in qua uti in omnibus moralibus morbis physica laesio tanquam secundaria, seu *synthomatica* (vocabulum medicum a graeco vocabulo συμπτωμα vid. annot. 1. p. 5. dictum, quod hic utimur ad significandam laesionem praecipuam, primariam non esse, sed jam ab alia laesione per consensum provenientem) habenda est

verbis consequi non possumus: attamen quemadmodum tum anima, tum corpus, in quorum nexu Deo O. M. mortalem hanc, quam ducimus vitam sapientissime sanxit; ob ineffabilem, qui inter se viget consensum, continuumque commercium, quos patiuntur morbos, non secus ac sanitatem mutuo impertiunt; sic quacumque causa turbatis alterutrius functionibus, in quarum perfecto exercitio sanitas continetur, plures ac varii nascuntur morbi utrumque afficientes; licet prout eorum natura primo, ac praecipue aut animae, aut corporis facultates percellit; morales, aut physici generatim appellantur. At cum humana mens, nihil sentire et imaginari queat, nisi in illa cerebri parte a divino Opifice ad ea perficienda determinata aliqua immutatio fiat; hinc causam proximam morborum etiam moralium in corpore semper quaerendam esse cum cordatis Scriptoribus (1). censemus: proindeque ea prudentia,

(1) Quum vero morbus non nisi in corpore sedem habeat causa ejus quoque ad corpus dun-

qua in rebus tanta obscuritate difficultateque plenis uti oportet; eoque pacto, quo physico de *psycologia*, (nomen a duobus graecis vocabulis ψυχη anima, et λόγος sermo compositum, quod sermonem de anima significat) atque medico de moralibus morbis proferre licet; de morositatis, cujus historiam tradimus, causa proxima nostrum judicium, praemissis nonnullis pro ejus illustratione, libere quoque pronuntiabimus.

XV. Animadvertendum igitur est, quod sensus proprie unus tantum est, et internus, a quo varii et pro corporum (1) varietate

taxat pertinebit, inque hoc solo quaerenda erit; quanquam ex mente forsan, vi mutui commercii, eo devenit: quod observare quidem medici est, explicare philosophi. Ex animi motu natus morbus, illo sedato perdurans, non sine causa superest. Gaubius institution. pathol. de causis morb. p. 18. edit. Venet.

(1) Corporum nomine physice intelligimus rem quamvis, quae sub sensus organa cadit: organa sensus vocamus sic dictos sensus externos visum nempe, auditum, gustum, odoratum, et tactum.

tanta in rerum universitate, et pro organorum diversitate multiplici in humani corporis machina manant effectus, *sensationes* nimirum, ad quas perficiendas sequentes res necessario requiruntur. Corpus externum efficiens, quod est movens, causa incitans, stimulus. Organum externum a movente affectum, quod est nervi extremitas varie pro uniuscujusque muneris varietate distributa, necnon aliis partibus pro tuenda ac moderanda nimia ejus naturali *sensibilitate* proprietate nempe a vitalitate nervis impertita, varie quoque ac miro modo munita, et tecta. Translatio sic dicemus affectionis a movente in nervorum extremitates inductae ad specialia, sive propria *sensoria*, idest ad eas cerebri hemisphoeriorum partes, in quibus affectiones juxta organa externa, a quibus proveniunt, inducuntur; et ab his ad generale sive commune *sensorium* (1), in quo ab ani-

(1) Commune sensorium sic nuncupatus locus, in quo anima tanquam in aula sedet ad audiendas voces a suis organis advectas, et ad praecipuas

ma semper vigilanti, nullo interposito impedimento fit perceptio, a qua *sensatio*, quae semper corpori externo afficienti, et organo sensus externo affecto respondet: quae ut re-

suas facultates explicandas: in cerebro residere jam fere universalis erat opinio satis notis experimentis innixa; in quanam vero cerebri parte adhuc in variis hypotheticis opinionibus volutabatur: at proximis superioribus temporibus, viri in rebus anatomicis et physiologicis doctissimi, remotis omnibus anteagitatis hypothesibus, secundum dissectionis leges commune sensorium in medulla oblongata sic dicta quod producitur a continuata et reciproca mixtione substantiae medullosae cerebri et cerebelli residere demonstrarunt: et revera animalia, quibus medulla oblongata, quae partem mediam basium cerebri et cerebelli tenet, et durae matri basim cerebri tegenti absolute laeditur, vita extemplo decedunt: dicimus absolute, cum commune sensorium non in uno, ac solo ipsius medullae puncto, sed in tot, quot sunt organica puncta, in quibus variae ab anima fiunt perceptiones existere credamus; ita ut commune sensorium esse omnium organicorum punctorum, omnium scilicet extremitatum nervorum variis functionibus inservientium congeriem inferimus.

cte fiat necessarie integra nervorum naturaliter destinatorum continuitas requiritur.

XVI. Ut autem affectiones a corporibus externis in organa sensus externa inducta, et per nervos ad cerebrum delatae in ipso servantur, et ob quandam inter se affinitatem juxta mnemonica, idearumque consociationis leges vicinia aut conspirantia loca tenent; sic quotiescumque aliqua de causa illae cerebri hemisphaeriorum partes, in quibus impressa manent datarum affectionum vestigia afficiuntur, illico per datos et destinatos nervos istiusmodi vestigia ad animam transferuntur, et cum ab ea percipiantur, sequitur imaginatio, reintegratio nempe illarum rerum jam alias sensu comprehensarum, cujus effectus ideae nimirum semper causis afficientibus, et imaginationis organis affectis respondent. Imaginationis organa dicimus extremitates nervorum ipsorum qui affectionum vestigia in cerebri hemisphaeriis servata, aliqua de causa suscitata ad commune *sensorium* transferunt.

XVII. De modo autem, quo corporum externorum affectiones in externa sensus or-

gana inductae pro *sensatione* earumque servata in cerebri hemisphaeriis vestigia a caussis suscitata pro imaginatione illico ad commune *sensorium*, in quo ab anima fit perceptio, per nervos transmittantur; plures, ac variae physiologorum opiniones, omnes ab hypothesibus deductae prolatae fuere; quarum duae uti agitatiores praecipue numerantur: una scilicet illorum,* qui nervorum actiones a tremore in eosdem ab affectionibus inducto fieri credunt; altera autem illorum, qui a fluido in *corticali* sic a cortice dicta cerebri substantia ubique fere exterius posita secreto; ab hac in substantiam medullosam; hinc in nervos delato, et ab affectionibus in motum acto fieri malunt: nos autem neutri ex hisce duabus opinionibus assentiri posse libere ingenueque fatemur. Non primae, quod si nervorum actiones a tremore ab affectionibus inductae fierent, ut tremor, oscillationesque semper sunt in *ratione* tensionis, quemadmodum clare apparet in chordis musicis, a quibus eo acutior fit sonus, quo major est chordarum tensio; sic ipsa lege servata, majores acutioresque *sensationes* fieri debe-

rent ope nervorum firmioribus, distinctioribus fibris instructorum, uti tensioni, ideoque tremori concipiendo oscillationibusque edendis aptiorum: at contrarium evenire videtur; eo enim majores, acutioresque fiunt *sensationes*, quo molliores, teneriores sunt nervi: exemplum praebet *retina* a natura ad visionem inter *sensationes* acutissimam destinata; ea est intima oculi membrana, tenerrima, mollissima, *gelatinosa* idest juri coacto concreto similis, et diffluens, facta ab expansione nervi optici omnis prorsus tensionis expertis, uti ceteri nervi, quorum natura a tensione tremori concipiendo, oscillationibusque edendis apta, remotissima videtur; molles enim maxime sunt in origine, et ubi per viscera diffunduntur, et medullosi: insuper plexuum nervorum structura partium diversarum consensioni maxime aptata, unius tantum nervosae fibrae determinato tremori oscillationibusque sine consensione ceterarum nervosarum partium, quae ad plexuum nervorum formationem concurrunt repugnare videtur; quemadmodum repugnare videntur nervorum ganglia tremoris, oscillationumque simplici rectae con-

tinuati; cum ab eorumdem tortuosa forma, tam simplicium, juxta clarissimam eximii anatomici Scarpa divisionem, quam compositorum recta fibrarum nervosarum continuitas intercipiatur; demum si nervorum actiones per tremorem fierent, dum vires etiam maximae per nervos in musculos cientur, aliqua in ipsis nervis mutatio, aliquis motus deprehenderetur; falsum consequens, ergo et antecedens: ergo nervorum actiones a tremore ab affectionibus in eosdem inducto fieri, credibile non videtur. Non secundae, quod argumenta a suis propugnatoribus, qui multi fuere, allata non suadent: enim vero si ingens sanguinis quantitas e sinistro cordis ventriculo erumpentis, et per carotides, ac vertebrales arterias superius delati, soli cerebro prospiceret; cum a ceterorum viscerum analogia pateat totam per cerebri nutrimentum necessariam non esse; locum quidem inductioni credendi praeberet, partem illius sanguinis secretioni fluidi nervosi, quod spiritus animales etiam vocant, inservire; sed ut non soli cerebro prospicit cum non tantum ejus nutrimenti, et vaporis inter membranas idem involventes, nec non in ejus

ventriculis occurrentis separationi, et caloris in eodem viscere, quod frigidum veteres recte dixerunt conservationi inserviat; verum etiam ad nutrimentum multarum aliarum externarum, internarumque partium, musculorum videlicet colli, ejusque vertebrarum, oculorum, nasi, aurium, laringi, pharingi, nec non ossium, membranarum, nervorumque ad memoratas partes spectantium occurrat; sic inductio locum habere nequaquam potest; ergo a sanguine superius ad cerebrum delato fluidum nervosum, sive spiritus animales secerni credendum non est. Experimenta autem a clarissimis viris instituta, ex quibus constat nervos ligatos supra vinculum intumescere, non fluidi nervosi, sed vasorum per nervos decurrentium *existentiam* probare certum, evidensque est: effectus enim a causa dependet; inflatio nervorum ligatorum supra vinculum effectus physicus, et verus est; at vasa per nervos decurrentia a praestantissimis anatomicis detecta, et nota non hypothetica, sed vera sunt: contra fluidum nervosum in totum hypotheticum est; sic causa inflationis nervorum ligatorum supra vinculum a naturali decursu

non hypothetici fluidi nervosi, sed vasorum venosorum singillatim lymphaticorum ad ipsos nervos spectantium ab ipso vinculo impedito repetenda est; ergo inflatio nervorum ligatorum non fluidi nervosi, sed vasorum per nervos decurrentium *existentiam* probare certum, evidensque est. Desunt insuper viae, per quas fluidum nervosum sive spiritus animales ex *corticali* cerebri substantia, in qua patroni hypothesis eorumdem secretionem fieri praesumunt, in medullosam substantiam, ex hac in nervos transferri possint; cum substantia medullosa cum corticali absolute continua non sit; nam si absolute continua esset, ejus color albus non protinus, et proxime, sed paullatim, et gradatim succederet colori cinereo substantiae corticalis; atqui color albus non paullatim, et gradatim, sed protinus et proxime succedit colori cinereo; ergo substantia cerebri medullosa cum corticali absolute continua non est: et revera nemo hactenus invenit, aut vidit canaliculos aut tubulos, per quos fluidum nervosum, sive spiritus animales ex cortice in medullam, ex hac in nervos transire possint.

XVIII. Plura alia, quae ad infirmandam utramque ex propositis hypothesibus dici possent, omittimus, cum jam ex paucis allatis satis constet, easdem argumentis inniti, cum quibus earum probabilitas nullo modo ostendi potest, et ad exponendum quidquid igitur de principio nervorum actionibus inservienti censemus, gradum facimus.

XIX. Sententiae generatim a clarissimis viris ex eorum inquisitionibus, investigationibusque circa fluidi nervosi, sive spirituum animalium naturam conceptae, non parum aetheris opinioni favere videntur; nam alii luci, alii aquae, alii igni, alii igni electrico affinem esse dixerunt: nos autem omnibus, et singulis allatis sententiis observatis, actiones nervorum ope aetheris modo, quo nunc sumus expposituri, perfici opinamur.

XX. Aëther cum aëre inspiratus in nervos invadit, et per eos aptatis meatibus instructos, et necessaria *elasticitate* (1) prae-

(1) Elasticitas generatim dicitur illa physica vis, qua corpora aliquo modo aut compressa, aut

ditos, ineffabili pernicitate undarum licet insensibilium instar pro opportunitate fluens et directiones sequens juxta incitamenta ab affectionibus recepta, varios, mirabilesque in animato corpore producit effectus, ita ut aëtherem tanquam solum medium, per quod affectiones ad commune sensorium propagantur; nervos tanquam sola organa, per quae medium idest aëther suis fungitur muneribus habemus: hinc aut ejusdem aëtheris viribus, aut principiis, quae pro suis muneribus exequendis requiruntur, destructis cum aëre iterum unitus exspiratur: et sic, uti respiratio, pergit aëtheris actio, donec vivit homo.

XXI. Ex hactenus praemissis videtur nunc quodam argumento inferri posse causam proximam *nostalgiae* esse magnum et continuum

distracta aut elongata sibi relicta, in suum pristinum statum restituuntur. Ut autem elasticitatem ex aëthere pendere credimus, sic corporum elasticitatem in ratione quantitatis aëtheris in iisdem corporibus contenti esse inferimus.

fluxum actuosum aëtheris in eas cerebri hemisphaeriorum partes, in quibus patriae, parentum, amicorum etc. vestigia servata manent: qua actione ut anima assidue ita dicemus, provocata ad nihil aliud amplius attendit, quam ad patriae, parentum, amicorum etc. contemplationem; sic duplex in vitalitate nascitur perturbatio, ab ejus videlicet actione quam par est adaucta in memoratis partibus; a diminuta in ceteris; unde cuncta descripta in §. IV et V *nostalgiae* synthomata sequuntur; ab actione nimirum adaucta, quae animum; a diminuta, quae corpus respiciunt: cum synthomata semper consona sint functionum laesioni a vitalitatis perturbatione ortae.

XXII. Sedulo expensis, ac serio contemplatis *nostalgiae* natura, causis, aliisque supra indicatis adjunctis, a quibus omnibus aegrotantis salutis, vel interitus signa sunt desumenda; quisque comprehendit, quam dubius sit hujusce morbi exitus; quapropter in tam dubio negotio, omissis, quae praeclari operis, non tenuis dissertationis pretium essent; nonnulla tantum ab aegritudinis causis,

aegrotantis constitutione, viribus aliisque deducta delibabimus, a quibus quid fausti funestique in *nostalgia* generatim esse potest patefiat; ut sine temeritate generalem *prognosim* (1) quantum in nobis est instituere possimus.

XXIII. Quemadmodum in omnibus morbis, quo vehementior externarum causarum actio, quo major animi, corporisque aegrotantis imbecillitas, quo vividior morbi vis, quo diuturnior synthomatum potissimum gravissimorum pertinacia, quo demum gravior functionum praecipue vitalium laesio est, eo magis periculum adaugetur: ita si *nostalgia* pro causa externa agnoverit quandam causam valide agentem, ut puta vehementem animi

(1) Prognosis a graecis vocabulis πρὸ ante, prae, et γνωσίς notio, cognitio dicitur ea praenotio a semejoticae * studio acquisita, qua quodam fundamento judicatur de futura sanitate non tantum, quantum de exitu morborum. * Semejotica a graeca voce Σημειον signum vocata, est tertia seu postrema theoreticae medicinae pars, quae sanitatis et morborum signa expendit.

affectum, et aeger pavidi, timidique animi, atque debilis pravaeque constitutionis corporis fuerit; si desiderium, quo non expleto *nostalgia* inducitur summa vehementia, et tristitia excitatum fuerit, si febris cum languore, cordis palpitationes, pulsus parvitas, ac raritas, respiratio lenta, ac laboriosa, hypocondriorum inflatio, et in nonnullis uti diximus §. V delirium; si horum singula, aut plura perstiterint; et aeger perfracte proposita, et opportuna recusaverit remedia, quod saepissime in hac morositate contingit, graviori in discrimine collocatam *nostalgici* rem esse unusquisque videt: quibus vero stantibus, si lienteria, decubitus supinus, insuperabilis stupor superveniant, infaustum, funestumque omen esse, et mortem instantem accuratae observationes evicerunt: hisce enim generatim cum omnimoda functionum naturalium cessatione, convulsiones succedunt, quae *nostalgicum* plerumque de medio tollunt.

XXIV. Ex modo allatis sponte quoque fluit quandonam felix poterit *nostalgiae* exitus praenuntiari, faustaque *prognosis* institui; etenim si huic aegritudini levis ex-

terna causa ansam praebuerit, si bona fuerit aegrotantis constitutio, ejusque tum morales, tum physicae vires satis bene valuerint, si desiderium *nostalgiam* inducens modica vi excitatum fuerit; si synthomata eandem stipantia praesertim quae functiones vitales respiciunt, nec admodum intensa, nec pertinacia fuerint; si aeger debitam, et opportunam medicinam non abnuerit, ejusque ope et interdum etiam sponte *synthomata* numero, et vi sensim imminuerint; haec cum ceteris signis, ex quibus deduci potest ab aegrotantis mente pedetentim ideam patriae, parentum, amicorum etc. circa quam diu noctuque versatur dissipari, ac destrui felicem faustumque *nostalgiae* exitum praesagire videntur.

XXV. Quid de *nostalgiae prognosi* a nobis hactenus delibatum fuit generatim tantum ut diximus §. XXII accipiendum est; cum enim toto aegritudinis tempore a mille variisque causis animus, et corpus jam affecti magis magisque affici possunt; hincque improvisae, variae, immanes mutationes nasci, idcirco aliquid pro certo, et firmo de ejus eventu statuere in consultum magis quam in

plerisque aliis morbis foret: et sane in *nostalgia* nec ulla ordinata solutio, quae critica jure dici mereatur observari, nec si cum veteribus opinemur ulli dies indices, critici, decretorii annotari unquam possunt; sed semper sine ulla ex sensibilibus, ordinariisque mutationibus, nec non incertis diebus gradatim, aut fere repente eandem interdum solvi, interdum et contra medici, adstantiumque expectationem, faciem mutare, in pejus ruere, aegrum enecare; interdumque etiam, sed raro, et initio tantum dum aeger adhuc valet viribus in furorem verti videtur.

XXVI. Observationes autem affirmatione affirmant *nostalgia* correptos facillime *epidemicos* (1) morbos contrahere: et sane in va-

(1) Epidemicus sic a graecis vocibus *ἐπί* in et δῆμος populus dicitur ille morbus, qui ob peculiarem occasionalem causam in aliqua data regione, aut loco casu agentem, quam communem agnoscit, plerumque omnes ad morbum praedispositi in eundem datum morbum incidunt. Duae autem ad efficiendum morbum requiruntur causae; una, quae morbum paret, altera, quae eum evolvat:

letudinariis militaribus, in quibus saepe aliquid *epidemici*, praesertim febris sic dicta generatim *nosocomialis* a nosocomio, in cujus atmosphaera, idest in massa aëris, quae nosocomium circumdat communis occasionalis causa plerumque latet, dominatur; *nostalgicos* vana plerumque omni cura, et solicitudine facta, *epidemicae* constitutionis praedam esse persaepe vidimus; quod ab eorumdem imbecillitate, a qua praedispositi evadebant evenire, non dubitamus.

XXVII. Ut vero *nostalgia* animum primo, deinde ob ineffabile foedus corpus la-

prima interna semper, et dicitur praedisponens, graece praegumena a πρό ante et ἡγέομαί duco, quasi causa ad morbum ducens: secunda plerumque externa est, et dicitur occasionalis graece procatartica a πρό ante χατὰ in, et αρχομαι incipio quasi causa morbum in praedisposito incipiens: ex hisce duabus causis vera exsurgit causa morbum constituens proxima dicta, interna, et morbo adeo inhaerens, ut ab ipso separari nequeat: hinc ea vel adstante vel abstante morbus vel adest, vel abest.

befactat; sic in methodo eandem curandi statuenda dicemus primo quae animi, deinde quae corporis curatio habenda est, quanquam pleraque remedia, quaeposituri sumus utrique succurrere possint.

XXVIII. Itaque si *nostalgia* initio sit; eoque in statu, quo morbosa ejus vis in aegrotantis animo adhuc tantum manifestetur; ea illico sunt seligenda, atque aegrotanti praestanda auxilia, quae ejus mentem distrahant, ac removeant a continua et fixa patriae, parentum, amicorum etc. cogitatione, a qua quidem cetera, quae morbi progressu superveniunt mala derivant. Talia auxilia suppeditant amicorum praesertim conterraneorum societates, in quibus sermones circa varias, jucundas, ac commodas versantur res, moderata convivia, laeta musica, ingenui ludi, venatio, aequitatio, publicae ambulationes, amaena itinera, sufficiens et necessaria nummorum copia, aliaque similia, et generatim omnia, quae pro circumstantiis animum sublevare, et exhilarare valent.

XXIX. Quando vero aegritudo in progressu est, et quo statu jam physica laesio ap-

paret; tunc praeter auxilia, quae eo in casu ad aegrotantis animum recreandum accomodata esse possunt, locum quoque habere possunt nonnulla remedia medicamentariae artis officina petita; quemadmodum lenia *cardiaca* (1) aquis stillatis melissae, florum tibiae, totius cedri, cerasorum nigrorum, cinnamomi, et similibus parata, quae dum nauseam, inanem vomitum, languoremque discutiunt, mentis corporisque vires reficiunt, quibus interdum, et speciatim quando praesens est jam febris addi possunt nonuulla camphorae grana ad levem diaphoresim promovendam, bona vina medicata, in quibus praesertim herbae aromatico-amarae infusae sint,

(1) Cardiaca vocabulum dictum a graeco nomine Καρδία cor item os ventriculi, cum veteres medici putarent dolente ventriculo sive stomacho cor laborare; sed hoc vocabulum non semper usurpatur a medicis in sensu morbi, passionis nimirum cardiacae, morbi oris ventriculi, sive stomachi, qui dicitur cardiacus; multoties in sensu, quo nos hic utimur peculiaris videlicet remediorum generis uti ab ipso textu colligitur.

quae non tantum *anorexiam*, idest cibi fastidium, nomen ex Αλφα privativa, et verbo ὀρέγομαι appeto inventum, corrigunt verum etiam stomachum roborant, digestionem adjuvant, appetitum incitant, hocque modo naturales functiones etiam promovent: opium autem, ejusque generatim praeparationes debitis cautionibus praescriptae, et hora somni sumtae, maxime theriaca ad perpetuas inquietudines, continuasque vigilias compescendas, ac sistendas non parum conferunt; itemque nonnulla externa remedia velut inunctiones aliquorum balsamorum cephalicorum anodynis alteratorum temporibus, et vertici factae etiam commendantur.

XXX. Si memorata remedia et alia, quae data occasione, et prout interdum peculiares morbosae causae postulant, ut puta venae sectio, maxime morositatis initio urgente *plethora* sic dicta sanguinis redundantia a graeco nomine πλῆθος plenitudo, multitudo, copia; ac instante *saburra* idest quacumque prava materia in primis viis, speciatim in ventriculo, et intestinis haerenti, pro indicatione aut emeticum, aut purgans,

aut tantum clysteres praescribi possunt cum recto usu aëris nimirum puri, et tenuis, qualis in editissimis locis, ut in elevatioribus apertisque turribus inspiratur; cibi potusque potissimum, qui faciles, et a stomacho non alieni sint, incassum adhibeantur, et a *nostalgici* mente pertinax patriae, parentum, amicorum etc. idea non avellatur; sicque aegritudo gravior evadat, omniaque in pejus ruant; tunc unica, quae remanet medicina, omnibus cordatis scriptoribus consentientibus, est aegrum licet oppressum, et debilem aliquo modo in patriam ad suos mittere; etenim innumeris exemplis probatum est, quam plures *nostalgicos* prostratos, et omni fere vi destitutos, sola certa spe brevi in patriam reversuros statim melius habuisse, animi corporisque vires resumsisse, et in ipso itinere penitus convaluisse (1). Non paucos *nostalgia*

(1) Helvetiis nostalgicis pluries sane accidit, ut sola imaginationis restaurata vis absque ulla loci aërisque mutatione aegris reddiderit vitam. Ita animi fortes non astra duntaxat, sed et aë-

laborantes vidimus sola spe reditus in patriam convalescere; inter quos bene meminimus quemdam Paschalem Tortoli Florentinum melancholico temperamento praeditum, annum trigesimum agentem, matre orbatum, juvenem uxorem, tresque infantes habentem, qui desinita sarcinatoris, quam domi tenui quaestu

ra vincunt. Pluries alii vix millarium aliquot prosequuti sunt iter, et prae gaudio exultantes a diro delirio sanati, semimortui veluti miraculo quodam restituti. Quasi helvetia magna quaedam Dea foret, cujus invocatio mira in arte medica praestare possit. Scheuzerus loc. cit. pag. 311. * Romae D. Pfyffer pretoriae helvetiorum cohortis pontificis dux pluries sermonem habens de nostalgia semper dixit: «Io poi quando vedo qualche mio soldato, che ha la nostalgia, chiamata dai svizzeri, heim weh: heim casa, Weh dolore, cioè dolore eccitato dal gran desiderio di rivedere la casa, la patria ecc. lo mando subito a sua casa: perchè è certo, che quantunque già aggravato, appena uscito fuori della porta del popolo, comincia subito a star meglio, e questo meglio strada facendo cresce a segno, che giunge a casa guarito».

exercebat arte, et impetrata a Praefecto domus Caroli Emmanuelis IV Sabaudiae, Sardiniae regis religiosissimi, omnique laude superioris, qui semper aequabilem in utraque fortuna sese praebuit; aliquo in regio promptuario officio, per varias Italiae regiones praefati augusti regis aulam secutus est: anno autem MDCCC cum esset Tusculi in recreatione a *Synocho* (1) mense augusti ejusdem anni tolerato, *nostalgia* cui vehemens tertiana accessit correptus fuit: eoque in statu, quo magno in periculo aegri versebatur vita, extemplo, ut res postulabat, cortice peruviano

(1) Synochus a graeco vocabulo συνεχὴς idest continuus, ita dicitur febris duarum, vel trium hebdomadum ex Synocha * et typho (not. 1. p. 14.) composita cum a synocha, transeat in tiphum a quo nisi initio vix distingui potest. * Synocha a graeco vocabulo συνεχὴς continuus, ita dicitur febris, quae fere ad unam tantum hebdomadam extendi solet, in qua generatim calor valde adauctus, pulsus frequentes, validi et duri; urina rubra; cerebri functiones parum nihilve turbatae reperiuntur.

profligata febri, eodemque tempore aeger a suis superioribus necnon ab amicis, et a nobis in dulcem spem adductus fore ut brevi et facile si spiritus sumebat in patriam ad suos redire posset: oh res miranda! tanta hujus spei fuit potentia, ut statim repressa morositatis pertinacia, erectis aegri viribus, intra paucos dies perfecte convaluit.

XXXI. Quod si *nostalgicus* ex parentum, paternorum bonorum, necessariaeque opis ademptione, ex loci, temporisque necessitate, vel ob quamcumque aliam gravem causam, et praesertim ob miseram difficilemque vitae conditionem, patriam, suos adire, sicque ingens suum desiderium, a quo *nostalgia* provenit explere nequeat; eo in casu cum cetera remedia observatione facta inutiliter fiant, nullaque curatio succedat: tunc religionem certe, quae magnam in se vim habet descriptae morositati, maxime si haec pro causis injustitias, injurias, contumelias, et similia agnoverit, potentissimum remedium esse in dubium vocare non audemus. Vidimus enim mulierem cunctis nominibus spectatissimam, quae nobis cum grata recorda-

tione in mente versatur; solo religionis quam summa observantia colebat auxilio, extemplo sanatam a *nostalgiae* aggressione, cui causas praebuerunt tot, tantaeque aerumnae, quas perpessa est in elapso acerbo, diuturnoque bello, cujus tristes effectus, falsas nimirum suspiciones, scelestas contentiones, atroces inimicitias, implacabilia odia, furentes calumnias, inauditas injustitias, aliaque quam plurima mala, quae inviti etiam nos Itali experti sumus.

NIHIL OBSTAT

Z. Joseph De Castellini Censor Deputatus.

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Antonius Piatti Archiep. Trapezunt. Vicesg.